



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Henrici Canisi[i] Noviomagi, Belgæ, Jn Academia
Ingolstadiensi SS. Canonum Profess. Ordinarii & Primarii,
Opera Quæ De Ivre Canonico Reliqvit**

Canisius, Heinrich

Coloniae Agrippinae, 1662

Regvla LXI. Quod ob gratiam alicujus conceditur, non est in ejus
dispendium retorquendum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62169](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62169)

tum, de quo in cap. Significante 7. Extr. De pignorib. & in l. fin. C. De pactis pignor. Igitur Regula nostra de bonis moribus exaudienda est, quorum contrarii turpes sunt, & peccatum continent. Ceterum si boni mores civiles sint, id est, à jure civili introducti, nihil impedit, contrarium his juramen-

to confirmari posse, uti videre est in alienatione doris, & renuntiatione hereditatis paternae, quae licet jure civili interdicta sint, juramento tamen confirmantur, & obligationem inducunt, in c. Cum contingat Extr. De jurejur. c. 2. eod. tit. in 6. & inc. 2. De pactis lib. 6.

REGULA LIX.

Dolo facit, qui petit quod restituere oportet eundem,

Paulus in eadem sententiam: Dolo facit qui petit quod redditurus est, l. In condemnatione § fin. D. eod. Exemplum adferri potest in usurario, qui merito exceptione doli repellitur: cum et si exactas usuras receperit, easdem tamen refundere teneretur, cap. Cum tu §. cap. Tuas 13. Extr. De usuris. Cui enim datur actio, eidem multò magis exceptio competit, l. Inventus 136. §. 1. D. hoc tit. l. 1. §. quod ait prætor D. De superficie. Sed cum non idem, ubi juramentum promissioni usurarum accessit, cum hac specie ante solvendæ sint usuræ & post restituendæ à creditore: ut ad præced. regul. dictum est, c. Debitores Extr. De jurejur. Id facit vis juramenti, quod propriam obligationem parit inter Deum & jurantem, quæ prius per solutionem dissolvenda est: quamvis & agere possit debitor

contra creditorem, ut ipse remittat juramentum, cap. 1. Extr. d. tit. De jurejur. quo remisso, rum locus erit huic Regulæ. Ad hanc Regulam pertinet quod J.C. respondet in l. Dolo 8. D. De doli mali & met. except. de herede damnato à testatore, ne à debitore peteret; nam exceptione doli mali heres rectè rejicitur si petat; cum etiam eam non oppositâ teneretur heres ex testamento debitorem liberare. Exaudienda autem est hæc regula, ubi eidem, qui solvit, res restituenda est: sicut si alteri tertio, ut in specie, l. Si fecerit 44. §. Lucius D. Solutio matrim. Item nisi causa diversio sit petitionis & restitutionis; veluti si possessio rei petatur à proprietario, ut in l. 1. §. 1. D. Quor. legator. adde c. 2. Extr. De causa poss. & propriet.

REGULA LX.

Non est in mora, qui potest exceptione legitimâ se tueri.

Quid mora sit, supra explicavimus, ad cap. Mora sua sup. eod. Exceptio legitima est, patet de non petendo, doli mali, metus, jurifurandi & similibus, de quib. sub tit. Instit. & D. De except. Item si quis valitudine, tempestate, vi fluminis, vel aliâ justè impeditus fuerit, l. 2. §. 1. cum seqq. D. Si quis cautionib. Hæc enim, à mora excu-

sant, & subsequenter etiam à pœna vel damno, d. l. 2. & cap. penult. circa fin. Extr. De pignor. Quod spectat juris civilis regula: Nihil interest, ipso iure quis actionem non habeat, an per exceptionem infirmetur, l. 112. D. hoc tit. scilicet, quod ad effectum attinet: nam actio per exceptionem oppositam eliditur, l. 2. De exceptionib. l. Si iudex 41. D. De minorib.

REGULA LXI.

Quod ob gratiam alicujus conceditur, non est in ejus dispendium retorquendum.

Eadem sententia est, l. Quod favore 6. C. De legib. Exempla requirunt in cap. 2. Ad Apostolicam

16. Extr. De regularib. in l. Non co minus 14. C. De procuratoribus in l. Si iudex 42. D. De minorib.

REGULA